



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Canon, regula, siue fraternitas, hoc est, Institutio succincta D. N. Iesu Christi, ijs qui in virtutibus paruum adhuc fecêre profectum, vtputa incipientibus potissimum, præscripta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

me, conciliatur. Nemo se voto hic astringat ad horum obseruantiam necesse est (tamen si, alioquin votum bonam voluntatem vehementer ornet, roboret, locupletet) nec si prauaricatur, se peccato obnoxium constiuet, vltra quam legis meæ transgressio ipsa alioquin reum facit.

Omnibus itaq; qui mihi seruire cupiunt, pro viribus vniuscuiusq; legē admini-  
stro, atq; sic tēpero, vt nemo gratia mea adiutus hanc nequeat implere. Volo enim  
saluare (quatenus ex mea pēdet beneuolētia) omnes. Idcirco dissimulo circa infir-  
mos, nec calamum confringam conuulsatū, aut lignū fumigās penitus extingua.

Hac ratione mihi seruientes collecturus, in duos ordines illos cōstituo, videlicet  
infirmorum, siue incipientium, & perfectorum: vtriusq; præcepta suo ordini & statui  
congruentia insinuans. Canon autem sequens, ad cuius obseruationē infirmi & in-  
cipientes quique adniti debent, iam olim in Euangelio meo per traditionem man-  
datorum meorum est eis præscriptus, & hic breuiter ad aliqua desumptus.

*Canon, Regula, siue fraternitas, hoc est, Institutio succincta Domini  
nostri Iesu Christi, ijs qui in virtutibus paruum adhuc fecē-  
re profectum vtputa incipientibus potissimum,  
prescripta.*

**Q**uisquis militiæ meæ sese astringere, quisquis manus mihi suas dare vo-  
luerit, si non principio omnia, maximè tamen lethalia debet cauere pec-  
cata.

Tu igitur si inter seruos meos fideles cupis adnumerari, caue peccata, & peccandi  
omnes occasiones rescinde ac fuge. Declina à malo, & fac bonum: In maleuolam enim  
animam non introibo, nec habitabo in corpore subdito peccatis.

Nunquam vitæ tuæ aut bonis temporalibus pareas, si proximi tui animam à  
peccato mortifero potueris aut eruere, aut præseruare. Plures enim facere debes a-  
nimam quamcunq; pro qua in mortem tradidi ego animam meam, quàm corpus  
tuum aut rem temporalem: & præciosior ego tibi esse debeo, pro cuius honore ze-  
leris, quàm vita tua corporalis. Nunquam igitur consentias peccato, siue proprio,  
siue alieno, maximè lethali.

Quicquid oderis tibi fieri, alteri ne feceris. Idcirco fraudem, dolum, iniuriam-  
ve nulli inferas. Quæ si tibi illata fuerint, aut pro mei amore hæc tacens tolera, aut  
pro his non aliter quàm iuste & iusto modo expostula. Præcepi enim seruis meis,  
quod iustum est, etiam iuste prosequantur.

Nunquam pro malo malum reddas, nunquam conuitium conuitio, nunquam  
iniuriam iniuria retalies: idq; mei amore, qui cū maledicerer non maledicebam,  
cū paterer non comminabar, sed tradebam me iudicanti iniuste. Tu itaque pari  
modo si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit potum da illi. Diligere debes enim ini-  
micum tuum, & benefacere eis qui te oderunt, vt sis filius patris tui qui in cœlis  
est, qui bonis malisq; benefacit. Esto misericors, sicut & pater tuus cœlestis miseri-  
cors est. Eleemosynam igitur, aut beneficium, officium, obsequium, opusve aliud  
quodcunq; misericordiæ aut charitatis quotidie non minus vnum proximo  
tuo debes impendere: & in hoc miserendi atq; subueniendi exercitio fideliter te  
exercere.



Sed & omni tempore pauperibus larga manu, dum facultas suppetit subuenire, hospitali uisitare, ministrare infirmis, peccantes corrigere, cæteratq; Christianæ pietatis officia, hoc est, misericordiz opera tam spiritualia quam corporalia studio sedulo exercere debebis, si velis vnquam misericordiam meam erga te experi-ri. Et ad hæc omnia familiam, cæterosq; tibi commissos ac subiectos, omnes denique homines pro posse tuo instigare, & vrgeri debebis. Quisquis enim siue corporaliter siue spiritualiter in alium misericors fuerit, à me misericordiam consequetur: & quicquid vni ex minimis meis fecerit, siue bonum fuerit, siue malum, hoc mihi factum existimabo. Si secundum carnem vixeris, morieris. Porro si spiritu facta carnis mortificaueris, viues. Mortifica igitur desideria tua, sensus tuos & membra tua super terram, vt non quæcunque volueris facias.

Mat. 25.  
Rom. 8.

Quotidie non minus semel delectabile desideratum ve aliquid, mei causa tibi debes subtrahere, interdicens, siue negare, aded, vt si aliquid etiam aliud subtrahendum non occurrat, saltem vbi habendi, loquendi, videndi audiendi ve aliquid occasio daretur, ad quod concupiscentia te aut curiositas naturæ inclinaret, iam tibi illud mei amore, dum tamen alius fructus in illo nullus est, nega, & desiderium hoc in te, mei amore occide.

Exod. 25.  
Matt. 5.  
Leui. 19.

Nunquam iurabis, nisi pro veritate in iudicio per auctoritatem iudicis compul- sus: nomen meum vanè aut inutiliter non nominabis, nec vnquam mentieris.

Quotidie si iuxta tuum statum aut officium potes, missam vel lege vel audicidq; in memoriam ac honorem charitatis meæ omniumq; beneficiorum meorum, quæ hominibus exhibui, & quotidie exhibeo.

Quam si audire non potes, eadem intentione orationem dominicam, angeli- camq; lege salutationem, & in corde tuo offer meipsum Patri, simulq; omnia bona opera quæ à me, meisq; facta sunt aut fiunt, pro te & vniuersa Ecclesia.

Omnis mense ad minus semel debes sacramentaliter confiteri, & ad festa Natiuitatis ac Resurrectionis meæ, Pentecostes quoque, Assumptionis matris meæ & Omnium Sanctorum, Eucharistiæ Sacramentum suscipere. Verùm, si qualibet hebdomada ad minus semel confiteri, & quouis mense studueris sacratissimo Eucharistiæ Sacramento communicare, multo consultius feceris. Porro, si sub voto aut in monasterio viuas, vbi ex regula alia ipsa tibi sint instituta ad illa seruanda, toto conatu te accinge.

Quouis die mane adorare me debes, vnum Deum in Trinitate personarum, & te mihi commendare, orareq; vt te mundumq; vniuersum defendam à peccato. Qui aded est simplex, vt hæc capere nequeat, legat pia intentione. *Pater noster*, & *Aue Maria*.

Quamdiu ex interna meditatione ardentioriq; affectu mentalia non habes ex-ercitia meliora, quotidie in honorem passionis meæ ac vulnerum meorum, die quinque *Pater noster* totidemq; *Aue Maria*.

Porro, qualibet hebdomada ad matris meæ venerationem ter quinquaginta legas *Aue Maria*, seu (vt vocant) tria rosaria.

Quotidie in veneratione Sacramenti corporis mei, duas facito genu flexiones aut venias, siue adorationes. Vnã, quæ charitati meæ ac beneficijs meis, in incarnatione, passione, morte, atque huius sacramenti institutione mundo exhibitis, gratias agas. Altera qua honorè mihi (quantum in te est) refundere cupias pro contumelia, quàm patior ab indignè sumentibus, ac impurè hoc sacramentum tractantibus.

Duas



Duas adhuc alteras genu flexiones seu adorationes quotidie facies: Vnam videlicet pro fructu impetrando, quem moriens passione mea, sanguinis quoque ac animæ meæ emissionem obtinui, & largiri volui mundo. Or. his igitur, vt singulorum cordibus, modo eandem virtutem, eandemque efficaciam ac fructum passionis meæ infundam, quàm in cruce vt susciperēt, illis sum operatus. Alterā genu flexionem siue tui humiliationem coram me facies, in laudem ac gratiarum actionem effusionis sanguinis mei, omniumque misericordiarum mearum, quas super bonos & malos vnquam effudi: orabisque pro conuersione eorum, qui in peccatis sunt dānabilibus, & pro reformatione Ecclesiæ. Qui hæc capere nequeunt, pia intentione dicant duo *Pater noster* & duo *Aue Maria*.

Omni sexta feria, dum infirmitas, debilitas, labor, egestas, peregrinatio, ætas, a hæc rationabilis occasio non impedit, ieiunare debes: Aut si maluieris, bis potes temperatè refici, sed pro cœna coctio cibo non vti, vt vel tantillo meæ mortis plangas amaritudinem.

Euangelij mei mandata, Ecclesiæque meæ præcepta discas sedulo, atque vbi didiceris, nullius rei amore transgrediaris.

Non minus semel quotidie debes teipsum intro conuertere, proprias cogitationes, verba, opera, affectus, passionem, negligentias discutere, mihi de bonis tum corporalibus tum spiritualibus gratias agere: de male actis dolere, veniā humiliter exposcere, corrigendique vitam tuam propositum reformare, & ad hoc, quandoquidem *sine me nihil potestis facere*, meam gratiam opemque petere, ipsa quoque vitia tua notare, opportuno tempore coram cōfessori tuo de ijs te ex animi dolore accusaturus. Per hoc namque ad vitia tua cognoscenda & in hoc seculo emendanda faciliè peruenies, quæ alioqui, non nisi in futuro eras seculo cognosciturus, & per rigorem iustitiæ luiturus.

Mortem quoque tuam & quatuor nouissima subinde ante mentis tuæ oculos constitue, & ad rationem mihi reddendam de cunctis operibus, verbis, cogitationibus & omissionibus tuis post hanc vitam te præparare studiosè non negligas: vt quacunque hora te ex hoc seculo euocaturus aduenero, te paratum reperiam.

*Exercitium quod hic subnectimus miræ virtutis & efficaciæ est ad impetrandū. Vulgo iter Crucis appellatū. Quod si humili feruentique affectu, attentè, tractim, ac deuotè Deo pro quavis necessitate vel causa offeratur, exauditionis gratia (quatenus animarum saluti congruit) minime fraudabitur, vt frequens experientia etiam in magnis periculis probauit. Quodque per plures simul adunatos Dei ministros, aut etiam per quemlibet seorsim exerceri potest. Ad singulos autem articulos sequentes leges deuotè & attentè quinque *Pater noster* &*

*quinque *Aue Maria*, quæ constituunt simul LX.*

*Pater noster & *Aue Maria*.*